I

QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus mane diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 13. Februarij

M. CAROLO LE LONG, Doctore Medico, Præſide.

Sunt-ne optima Medicamenta quæ magis arcana?

I.

MEDICAMENTVM ſeu ex plantis, ſeu ex Animalibus, ſeu ex Metallis quæratur, eo conſtat materiæ, qualitatumve modulo, qui à veneni & alimenti indole pariter remotus, corporis valetudinem efficere poteſt ex improbâ meliorem. Non una videtur ejus conditio, nec una laus, auſim dicere nec una fraus. Aliud quod multiplici etiam virtute præditum naſcitur, ſimplex; aliud compoſitum appellatur, quod plurimâ concrevit rerum confuſione ſimilium, diſſimiliumve, quâ ſimplicium, quâ compoſitarum. Illud naturæ, hoc hominum opus, atque utinam non mangonium. Vtrumque interno aut externo corpori præparatur. Simplex quidem ablutione, infuſione, decoctione, uſtione, ſimilive modo ſimpliciùs componitur: compoſitum vero operoſiùs adhuc ex aliis adornatur, ut eorum permixtione infringi poſſit præcipui cujuſdam medicamenti vis, imbecillitas acui, pravitas emendari, inſuavitas condiri, motus componi, ac denique virtus diu conſervari. Neque aliunde major medicamentorum luxuries, aut arcanorum farrago. Quodcumque autem illud ſit quod à calore noſtro excitatum valetudinem mutat, ſpecie, æque ac poteſtate, colore, figurâ, vel mole diverſum; id ad unam tantummodo alterandi, aut vacuandi Provinciam ſpectabit, quam in aliâ, atque aliâ corporis regione infirmius, debiliuſve geret, prout eſt ſuo ingenio comparatum. Tum alterantium genus omne, & variis quidem qualitatibus afficit, & incîdit, incraſſat, attenuat denſatque: neque modo partem aliquam intùs, vel in cute ſeorſim diſponit, ſed totum ſimul corpus, ut medendo convaleſcat. Tum præterea vacuatio multiplex Chirurgiæ, pharmarciæve ſubjicitur; hæcque aut promiſcua eſt, nec unius humoris, nec ab uno medicamento deductio per veſicam, os, nares, corporiſve poros, aut ſingularis quædam ſeu vomitu, ſeu dejectione purgatio ad excernendam eam corporis impuritatem, quæ in viſceribus peccat & redundat. Si tamen de communibus Remediis non communiter ſentias; Caveto ne hoc ad bilem cum peculiari teſſerâ mittatur, illud ad pituitam; ne hoc ad hepar, illud ad cerebrum. Iterum caveto ne hoc vrinæ, ſputo, puri; illud Apoplexiæ, nephritidi, pleuritidi ſingulariter deſtinetur. Attamen medicamenta quantum olim à junioribus Methodicis, tantum adhuc à facilitate Dogmaticorum habent vanitatis. Quamobrem deſinimus mirati cur tam frequens rumor ſpargitur in vulgus de Remediis omnium inertiſſimis, quæ nullo naturæ ac virtutis merito laudabilia, ſed ob id unum famoſa in ore multorum percrebreſcunt, quod familiaria ſordido cuidam autori, cæteros velut arcana latere videantur.

II.

QUI popularem auram secretorum mendacio consectantur : ii plurimum impudentiæ sibi assumunt, nihil aut parum admodum Medicinæ. Hæc quoties ægris succursura est, amplâ materiæ Medicæ cognitione gloriatur, sed multo magis prudenti ejusdem usu. Natura quidem morbi, causæ morbificæ, symptomatumque morbo assidentium per se commonstrat, quodnam ex tot Remediis eligendum sit. Illorum deinde vehementia, tempus & locus definiunt optimam electi administrationem. In carnificinam incidit quisquis hoc indicationum lumine orbus errat, sine medendi methodo omnium dignissimo arcano, singulis utili, paucis gratioso. Cujus ductu medicus rectâ incedit inter morbi sævitiam, ut ei resistat; & ægrorum vires, ut eis prospiciat. Quid si utrumque hunc artis scopum nunquam videt, qui aliquâ forsan confidit Radice sibi soli cognitâ, aliquo semine, succo, pulvere, potu, quem nulli non morbo, & nullo non morbi tempore tam occultê, quam imprudenter inculcat. Quâ vero fronte medicaster ullam rem non haberet communem cum Medicis naturæ ministris & exploratoribus ? Simplex est? atque eorum animis facile occurret. Composita est ? atque autorem sæpius, quam cæteros fallet. Nova est ? Nequedum satis innotuit ad utilitatis gloriam. Vetus est? Iamque diuturnâ contemptione obsolevit. Nonnulli igitur tacitum quid servent ceu mysterium. Hoc saltem audiet velut prophanum, iners, vitiosum. Vnde incredibilis fiat ignorantiæ accessio ad istorum mystagogorum impudentiam vix dissimilium præconibus, qui fugitivi mancipii formam & notas ex alienâ voluntate publicant, quas ipsi nesciunt : non secùs ac tot ignari ex aliorum credulitate celebrant variarum rerum miracula, quæ nusquam comparuerunt. Tantumque mendacii turpiori adhuc avaritiæ vitio cumulant, parum solliciti de hominum salute, dum popello verba dent, & suæ fortunæ consulant. Ideoque fallax istud Arcanorum figmentum non insulsê quis ab arcâ nuncupari dicat : ex quâ unus formulæ cujusdam calceus educitur omni morborum pedi inducendus ; vel in quam ab istis æruscatoribus confertur quicquid pecuniæ, ex multitudinis stultitiâ corraserunt.

III.

QUEMADMODUM Medicina homines non fortunâ, neque personis æstimat, sed eâ tantummodo, quâ Medici opem implorant valetudinis infirmitate. Ita etiam Remediorum vires neque ullo metitur secreto, neque lucro, sed suâ dumtaxat ad sanitatis commodum efficacitate. Hanc in purgantibus sola experientia, in alterantibus sapor etiam declarat. Cum alia vel alia res degustata linguam & palatum statim accendit vel refrigerat ; astringit vel laxat, pungit vel demulcet, deterget vel corrumpit. Magno ubique argumento id ipsum in interno corpore effici, quod in ore. At vero in odoris colorisque suavitate, materiæ sumptu, præparationisve ritu ; characterum similitudine cum partibus corporis, humoribus, morbis ; nec non & in certâ naturæ convenientiâ cum planetis tanta est fertilitas arcanorum, quanta sterilitas medicamentorum. Quæ potius multiplici experimento, nec fallaci, acri demum judicio, licet difficili debent comprobari. Sicque artis ratio distinguit id, quod alteriùs interventu agit ab eo, quod sponte & per se. Atque in uno homine, nec unâ periclitatione, nec ullâ mixturâ adulteratum cognoscit quicquid homini certissimè medetur. Tum præcipuè ubi datâ medendi occasione, neque simplex medicamentum cum affectu composito pugnat ; neque compositum cum simplici. Sin minùs alterutriûs simplicitas vel compositio judicem medicamenti non leviter detinebit iniquâ, aut saltem incertâ eventûs existimatione suspensum. Harum observatione legum firmissima stat experientia, ceu rerum, quæ eodem modo & sæpissime visæ sunt tam

utilis cognitio, quàm iis omnibus denegata, qui in arcanis se jactant. Vnde facillimum sit eos semper & turpiter falli, ac fallere. Egregiam enim laudem in cane, in pullo aquam experiri, quæ vulneratum hominem subitò invulneratum præstabit! Aliquo decocto morientem non occidisse, quem mutabilis inclementia morbi fugiebat! Uno propriæ urinæ calice ægrum à quartanâ liberasse, cujus altissimas radices avulserant gratæ vices veris & favoni, præsidiorum & patientiæ! Verum quoties hæc præclara medendi ratio tam feliciter successit? Semel forté aut iterum. Quoties deinde eorum, qui idem beneficium sperabant vota frustrata est? Centies. Atque inde non ne satis liquet hoc ægris pene inutile esse medicamentum, quod paucorum manu, & raró tractatur; istud denique utilissimum, quod plurimi sæpissime experti quovis modo probaverunt sine noxâ efficacissimum.

IV.

ALIQUID invenisse, quod cuiquam profuerit ad convalescendum, id unius sæpe hominis, ac fortunæ fuit: illud ad communem salutem accommodasse, id ferè nunquam unius hominis, ne regionis quidem aut ætatis erit. Recens hæc nostra hoc te nuperrimè docuit de stibio. Græcorum antiquitas idem monuit de Rheo, utroque remedio ad purgandum veteribus ignoto. Tam incerta nutat medicamentorum sors, ut etiam vulgata, nedum arcana, diu luctentur cum invidiâ temporum & experimentorum, ante certam laudis victoriam. Hanc eis una tribuit recta medendi ratio peritissimorum consuetudine, usque tradita; non stoliditas plebeculæ, non garrulitas Agyrtarum, non autoritas medicorum quantumvis veterum. Quid enim? Temeritatis ne reus citaretur, qui (salvâ Coi, Cappadocisque senis reverentiâ) suum aliquando Græcis in remediorum judicio & apparatu soporem exprobraret Arabum veterno fere parem. Ne quid tamen odiosius dicam de tantâ simplicium compositorumve futilitate utrisque communi. Quondam scarificationes, hirudines non laude modo contulerunt, sed adæquaverunt cum venæ sectione, ignavum præsidium cum generosissimo, vicarium cum principe, præterquam quod purgandi virtutem dederunt Mercuriali, filiculæ, centaurio, fumariæ, thymo, origano, tamarindis, myrobalanis, cæterisque seu lenientibus, seu lubricantibus, seu astringentibus aut detergentibus medicamentis olim laudatis ad corpus exonerandum suo stercore dicam, non humore. Hæc itaque tantûm distant à purgantibus, quantûm cacatio à purgatione, nostris quam Græcorum temporibus longè feliciori. Procul enim veratrum & peplium abiêre, rariûs proponitur colocynthis, scammonea. Tum frequentiorem sennæ, cassiæ, manna, similiumque delectum haud dubia plurimorum experientia posteritati commendavit. Adeo ut nequidem Æsculapius ipse sua arcana auderet comparare cum tam usitatis remediis; quorum virtus nullâ potuit locorum, temporum, ægrorum, morborum, contentionumque varietate deteri; nec præcipiti medendi occasione minui vel auferri; quin ad nos maximâ cum laude perveniret. Nimirum ut sapientia, ita etiam Medicina, quæ sapientiæ soror est, à multiplici pendet rerum periculo; cui hac nostrâ ætate debetur, quod artis conditores nostra nunc nobis inviderent medicamenta suis benigniora, nec imbecilliora, immo præstantiora.

V.

HOMINEM ex libro, non ex arte regit, qui quascumque ei quærit remediorum formulas sæpe à morbi, sæpius ab ægri naturâ alienas. Vis alterari universum Corpus? memineris uno caloris siccitatisque excessu ut plurimûm laborare, maximamque ei opem feret temperatum in medicamento alimentum, in alimento medicamentum. Naturam, quæ ab omni qualitatum immoderatione abhorret, similis conservatione pariter tuetur, oppugnatque morbum tacitâ con-

trarii depulſione. Hoc promptum ad omnem indicationem auxilium ſuppeditant Animalium, herbarumque partes, & ſucci ſuâ utilitate tanto celebriores, quanto utendi aſſiduitate notiores. Equidem mihi neganti aliquid eſſe medendo, quod alendo non eſt; Aqua, Aer, totuplexque reclamitaret materia, quæ licet è fodinis eruatur, externis morbis quam internis longè melior, non ideo ſtatim execranda erit, quaſi inutilis, aut noxia, quia Chymicorum manibus fuerit attrita. Eſto ſanè majorem à medico requirat agendi prudentiam. Quid tum inde? Quantæ enim molis eſt humanæ ſaluti præeſſe; tanti intereſt nullum aſpernari remedium, quocumque ab homine, quocumque ex orbe veniat ad nos per ſalutares ægrorum curationes. Nullum deinde ſolo antiquitatis ſtudio retineri velim, quæ plurima reliquit facile rejicienda. Nullum alicujus novitatis faſtidio rejici, quæ plurima tulit diu retinenda. Verûm ſi rectè ſapimus tot roborantium fabulæ conticeſcent, nugæ evaneſcent, ut locum parumper cedant quibuſdam Hermeticorum inventis ad medendum, quorum tamen principia omitti poſſint ad differendum. Quorſum enim tot ſpiritus, ſales? quorſum corpuſcula Acida, AlKali? quorſum tot operationum exempla, aut in corpore humano imitamenta, ad humorum motus in ſanis, ægriſve explicandos, comprimendos, excitandos? niſi ut innovetur quoddam comparationis argumentum ad veritatis fidem nimis infirmum. In remediis autem vetus philoſophia ſatis eſt, & quotidiana experientia. Vtraque ſemper damnabit univerſalis cujuſdam Medicinæ myſterium immo hoc vanitatis idolum ridebit, quod unum Chymîcorum principes cuilibet fere interno morbo promittebant, velut ſecretiſſimam ex auro potabîli, aut balſamo panacæam; ut ii inertiûs peccarent in ſplendidâ quâvis Perſonâ, qui olim nihil non habuerunt, totiesque adhuc muſſitant velut arcanum; cum tamen de medicamentis idem ſit veriſſimum, quod de amicis, his maximè aſſueſcendum eſſe, familiariterque utendum, quorum fides ſæpiſſime probata, in adverſis rebus quâm minimè defecerit.

Non ſunt igitur optima Medicamenta quæ magis arcana.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Guillelmus Lamy.
M. Petrus Yon.
M. Antonius de S. Yon. Medicus Regis ordinarius.

M. Claudius de Quanteal.
M. Ioannes Robert.
M. Ludovicus Gayant. Medicus Regis ordinarius.

M. Nicolaus Lienard.
M. Philippus Douté.
M. Nicolaus Morin.

Aſſerebat Lutetiæ LUDOVICUS POIRIER Richelæus A. R. S. H. 1676.

PARISIIS,
Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.